





19.

D. F. F. D. E. J. D. J.  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA,  
DE  
**SENECTVTE,**

QVAM,  
CLEMENTISSIMO SVMMI NVMINIS AVSPICIO,  
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,  
VIRO PRAENOBILISSIMO ET CONSULTISSIMO  
**DN. TOBIA IAC. REINHARTHO,**  
ICTO, SACRI PALATII CAESAREI COMITE, IVRID. FACVLT. ASSESSORE,  
ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVIT. STNDICQ  
ET CONSULE,

AVTORITATE ET DECRETO  
INCLITAE FACVLTATIS MEDICAE  
IN CELEBERRIMA ERFFVRTENSIVM ACADEMIA  
SVB PRÆSIDIO

GRATIOSI ORDINIS MEDICI DOMINI DECANI ET SENIORIS,  
**DN. D. HERMANNI PAVLI IVCHII,**  
SERENISS. DVCVM SAXO-VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVLICI ET ARCHIAT.  
PATHOL. ATQUE PRAXEOS PROFESS. PVBL. PRIMAR. ACADEM.  
CAESAR. NAT. CVRIOS. COLLEGAE,

PATRONI, HOSPITIS ET PROMOTORIS SVBMISSE COLENDI,  
PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS  
ET IMMVNITATIBVS  
SOLENNI RITV MORE MAIORVM IMPETRANDIS,  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT,  
AVTOR ET RESPONDENS

**IOANNES GODOFREDVS KAMPER,**  
*Wratisl. Sileſ.*

IN AUDITORIO MAIORI COLLEGII MAIORIS, HORIS CONVENTIS.  
DIE XI. IULII M DCC XXXII.

ERFORDIAS, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.

10. GODOFER KUMFER  
GOTTFRIED BECKENSTEIN

SCHMIDRUM PATRONORVM  
SCHMIDRUM PATRONORVM

CLAUDIO SUMMIS  
CLAUDIO SUMMIS

DUETTERWALDHEIM  
DUETTERWALDHEIM

INCIPIT LIBER ALIAS MEDICAE  
IN ODESSKAMIA SEQUITUR ACADAMIA

ONIUS LIBER ALIAS MEDICAE  
ONIUS LIBER ALIAS MEDICAE

REPARACIONE  
REPARACIONE

REPARACIONE  
REPARACIONE

REPARACIONE  
REPARACIONE

INCLITAE WRATISLAVIENSIVM  
REIPVBLCIAE  
**PRAESEDI ILLVSTRI,**  
CETERISQVE  
**VIRIS**  
MAGNIFICIS, GENEROSISSIMIS,  
MAXIME STRENVIS  
**SENATORIBVS**  
ET  
**SYNDICIS**  
PATRIBVS PATRIAE OPTIMIS,  
MAECENATIBVS INDVLGENTISSIMIS,  
**DOMINIS SVIS GRATIOSISSIMIS,**  
PRO BENEFICIIS HACTENVS SIBI COLLATIS,  
HAS LABORIS MEDICI PRIMITIAS,  
GRATI SVBIECTIQVE ANIMI TESSERAM,  
HVMILLIME OFFERT,  
ET PLACIDISSIMAM ADPRECATVR SENECTVTEM;  
**SVMMORVM PATRONORVM**

Cultor perpetuus  
JO. GODOFR. KAMPER,  
Autor.

INSTITUTI ET LIBRARIAE UNIVERSITATIS  
RELIBERICAE VENETIÆ

PRAESIDIUM LIBRARI

CHARTER

ANNO M D C I S E

S E N A T O R I B A S

S Y L V I A G R A

B U T T R I E R I S F R I D I T U R I S

D OMINI S AVI S E R A T O R I S S I M I S

M I C H A E L I S C U R A T O R I S

G E R M A N I I T H E S I S W A M

H I E R O N I M I C H A E L I

I T A L I Q U A M C H A R I T A T I

T H E O D O R I C H A R D I S I

U T I S L I C E N T I A N U S C H I E S C H C E

H E R T I C K E C O L U M B I A M U N D I C O M M U N I C E

A M E R I C A M U N D I C O M M U N I C E

Y U N I T E D S T A T E S C O M M U N I C E

C O M P A N Y B E S T U D Y

10. GODFREY KWMTHR

Autol.

A & Ω.

---

DISSERTATIONIS INAVGVRALIS  
MEDICÆ

DE

# SENECTVTE.

---

§. I.

 Irculatio est motus fluidorum in corpore humano progressiuus, a cordis & arteriarum systole & diastole, fibramque tono proficiscens, secretiones & excretiones ad conseruationem corporis dirigenas.

§. II.

Vbi massae sanguineæ ceterorumque humorum existit circulatio, ibi vita aedesse dicitur,

§. III.

Quanquam autem homines ope mirabilis istius circuitus necessario vitales actiones exercere possint: constanti tamen docemur experientia, traetatu temporis corpora varias subire mutationes, &

quemadmodum a primis augentur initii, ita etiam  
certa ratione decrescere.

§. IV.

Fieri tamen id potest sanitate salua. Cum enim sit sanitas naturalis corporis viui potentia decenter omnes suas actiones exercendi a constitutione & natura partium peculiari dependens, dubium certe non est, eam certos admittere gradus aut differentiam essentialiem, & ex partium corporis humani diuersa, ordinata quasi & successiva constitutione variam quoque assumendam esse decenter agendi potentiam.

§. V.

Cum itaque corpus incorruptum licet & sanum sua tamen decrementa patiatur secundum naturam, caussa huius effectus in ipso principio vitali quaerenda, languidiorque massae sanguineae motus culpandus erit, qui ex mutata successiva proportione sequitur.

§. VI.

Cum enim circulatio mutua fibrarum constrictione & dilatatione perficiatur; constrictio autem & dilatatio ab humorum contentorum & influentium actione dependeat: necesse omnino est, ut tam solidae quam fluidae partes symbolam suam conferant.

§. VII.

§. VII.

Fluida vel quantitate, vel qualitate, vel motu concurrunt, atque ita languorem tales producunt.

§. VIII.

Fluidae partes copia excedentes vasā extēdunt, vim constringendi impediunt, imo quandoque tensione nimis diu durante atomiam aut rupturam efficiunt: vnde congestiones & alia progressus vegetoris impedimenta oriuntur.

§. IX.

Fluida defectu peccantia fatiscente debita vasorum expansione eadem exinanita & ad decentem constrictionem inepta reddunt, necessariam canalium minimorum repletionem atque ita mās-sac sanguineae circulum impediunt.

§. X.

Proportio autem & miscela humorum huic círculo inimica maxime illa est, vbi ad insignem visciditatem spiritus ascentiaeque & actiuitatis decrementum isti inclinant: vbi particulae terrestres, humidas inuoluentes, leuesque salinas intermixtas habentes, vel particulae acidae, nitro-tartareae, rigidae, coagulum & aliqualem quietem inducere valentes, superabundant.

§. XI.

Ex motu intestino fieri tale quid videmus, vbi, vehe-

vehementiori agitatione productus calor serum blandum dissipat, & ita fluxilitatem destruit.

## §. XII.

Solidarum vero in primis partium attentionem maiorem meretur consideratio, quae genuinam circulationis & hinc virium deiectionis causam patefaciunt. Neque enim solum ossa cernimus fieri indies duriora, sed & ipsas demum arterias compactiorum vel aliquando osseam induere substantiam, imo membranis densioribus factis tenuissimos canales subcutaneosque tubulos angustari vel plane claudi. Vtriusque origo necessaria est, si, quod fit in annosioribus, fibrae & membranae, a vasis subtilissimis nutrimentum capientes, sensim minimis poris ductibusque occlusis componant lamellas: his vero nova talia inducantur strata, & obliquarum transuersarumque fibrillarum vinculo arctius continentur: ita enim quo plures fibrae & lamellae sibi inuicem incumbunt, eo crassior solidiorque compages reperitur.

## §. XIII.

Licet igitur ossa praeter aliquam motus difficultatem toti corpori communicatam massae sanguineae progressui parum noceant: eo maius tam ex arteriarum rigiditate sequitur incommodeum. Cum enim harum decenti constrictione vitales succi debeant propelli, vasa autem haec mira duritie imbuta hand sufficienter se constringere valent,

leant, liquido certe apparet propulsum a corde sanguinem multo minori impetu, quam requirebatur, partibus communicari; vnde cum is in tenuissima vascula minimosque canales penetrate haud possit, eadem nutritione & repletione deficiunt contactuque immediato paries coalescent, vnde membranarum tubulorumque soliditas & succorum laudabilium aut excrementitorum secretiones vel excretiones impeditae eueniunt.

#### §. XIV.

Horum autem omnium phaenomenorum ratio ab ipsis actionibus naturalibus deducenda est. Non enim tantum digestio & nutritio, licet optimo modo se habeant, ad augmentum & repletionem corpus humanum disponunt: Sed in primis etiam omnis generis secretiones pro subiectorum diuersitate quandoque variantes vel apponendo partes homogeneas, vel peregrinas non sufficienter separando, fluida & solida nostri corporis alterare possunt. Excrementii autem succi cum propter pororum canaliumque angustiam, horumque soliditatem nequeant decenti ratione remoueri, in corpore accumulantur, bonis fluidis miscentur, eademque corrumpunt.

#### §. XV.

Nemo quidem negabit circulationem magnam vim obtainere magnumque in ceteras actiones

B

nes

nes influxum; cum haec ab ista, velut ab origine sua, profluant, nisi qui certissimae contradicere velit experientiae. Videmus enim pro eiusdem diuer-  
sitate varioque in partes influxu diversa etiam ra-  
tione se habere totius corporis robur, digestionem  
ipsam cum secretionibus & excretionibus variare  
plurimum, immo sensuum quoque organa & animi  
inclinationes cum ingenii facultatibus disparem  
subire conditionem. Quare extra omne dubium  
positum est, circulum sanguinis lento & debilio-  
rem languidores quoque producere omnes reli-  
quas corporis viui & fani actiones, eidemque ita  
mutationem satis insignem inferre. Qua vero ra-  
tione, id in singulis fiat partibus, ex earundem struc-  
tura & vsu clarissime patescit.

## §. XVI.

Antea memorata partium solidarum & flu-  
darum corporis humani constitutio, & ad circu-  
lum sanguinis lentiorem promouendum functio-  
nesque exinde competentes obeundas habitudo, di-  
citur temperamentum frigidum & siccum. Ipsam  
autem vitae periodum, quae eiusmodi crastin &  
hinc remissiorem circulationem obtinere solet, no-  
minamus senectutem.

## §. XVII.

Externa huius signa se sponte sua manifestant:  
tetricae enim exarant cutem rugae; color vividus  
ple-

§§ (II) §

plerumque in pallidum, flatum aut livescensem  
abit; capillatam partem nivea occupat canities;  
caput saepius inuoluntario motu huc illuc vacillat;  
omnia totius corporis membra tremori adsu-  
scunt; ipsa denique sensuum organa difficilior de-  
bitum praestant officium; & quae forte plura cu-  
mulari possent phænomena.

§. XVIII.

Diuidi solet in crudam, mediam & decrepi-  
tam, quae tantum gradu differunt. Realior vero  
diuisio est in praecocem & maturam. Praecox di-  
citur, vbi natura quadam velut anticipatione exi-  
tum affectat, dum temporis rationem festinatione  
ad senescendum praeuertit: cum matura potius sit,  
quae finem suum adepta est, quam etiam potissi-  
mum in praesenti tractatione respicimus.

§. XIX.

Ex hac tenus dictis patet, omnes homines or-  
dinaria naturae lege senectuti subiici. Cum enim  
corpus humanum materiale sit, adeoque putredini  
singulis momentis obnoxium, nisi salutaris ille ob-  
starer massæ sanguineæ circuitus, qui tamen sub-  
inde nutrientis conuenientibus conseruandus est:  
exinde merito ratione & experientia ducti conclu-  
dimus, tum illud tanto magis alterari &, quemad-  
modum ceteræ res materiales, mutari debere,  
quo diutius iste durat ad resolutionem conatus:

tum etiam manifestam inferre mutationem secretiones & excretiones continuas, humores plerumque benigniores maiori quantitate dissipantes, quam quae ab assumptis denuo alimentis possit restituiri, vel excrementitious, ob vias vel angustatas, vel clausas, copiose retinentes ceterisque fluidis miscentes. Quales autem humores successive ita ingenerentur ad corruptionem nempe pronissimi, id nos §. X. breuiter annotauimus. Solida tamen praecipue, cum naturaliter magis concrescant & indurentur, idque neutiquam evitari possit per §. XII., necessitatem nostrae assertionis yberius demonstrant.

## §. XX.

Videntur veritatem huius thesesos infirmare historicas autorum probatae fidei relationes, quas Caspar a Reies in campis elysis jucundarum quaestionum, quaest. XXVI. collegit: vbi exempla reperituntur hominum vel ipsam senectutis efficaciam veramque indolem haud sentientium, vel, licet eiusdem iam agnoverint dominationem, ab ipsa tamen felicissime liberatorum. Non illis numerosae faciem deformabant rugae; nec verenda canities verticem mentisque occupabat; nulla vacillatio, nullus tremor in capite singulisque artibus obseruabatur; non denique cui usque inhabiles incedebant fallaci instrumento gressus suos fulcientes: sed una cum habitu nitoreque iuvenili virium

virium quoque robur vel haec tenus possessum re-  
tinuere, vel recuperarunt amissum.

## §. XXI.

Operae itaque pretium erit in caussas admiri-  
randi huius eventus inquirere, pauloque curatius  
sciscitari, an & quomodo aliquibus tam iucunda  
iuuentutis cum senio obtingere potuerit commu-  
tatio?

## §. XXII.

Recordamur itaque in primis eorum qui cre-  
scentibus annis de aetatum gradibus securi decli-  
nationisque immemores virentis iuuentae limites  
haud egressi sunt. Fatendum vero hic statim in  
principio est, casum hunc utique esse rarissimum:  
nihilominus tamen cum hoc usque videamus  
quosdam homines aetate proiectiores aliquandiu  
vel exigua vel plane nulla longi aei signa referen-  
tes; non dubitandum est, quibusdam etiam diu-  
turniorem eiusmodi accidere potuisse felicitatem.  
Cum autem senectus tum ab humorum discrasia,  
tum a solidorum rigiditate, generatim autem a cir-  
culo sanguinis debiliori dependeat; necesse est  
omnino, ut, quicquid temperiem & sufficientiam  
fluidorum, apertitionem autem, flexilitatem & to-  
num solidorum, atque generatim sanguinis circu-  
lum decenter conservat, ad virentium annorum  
continuationem insolitam disponat.

B 3

§. XXIII.

## §. XXIII.

Iam secundo loco de iis dicendum est, qui non aetate modo sed & ipso habitu senes iam referebant, subito autem iuuentum adsumsisse visi sunt maturitatem. Rariora certe hic quoque cernuntur exempla: negari tamen haud potest, nobis quotidie ante oculos versari aut relationibus aliorum innoscere, qui siue in hac, siue in alia parte, senectutem exuerunt. Quoties enim capilli iam deperditi senibus ipsis renati, & canities in nigredinem conversa? Quoties dentes denuo prodierunt? Quoties denique visus diu iam debilior, repente iterum acutior factus est? Non ergo inconueniens fore speramus, si quod saepe per partes, quandoque etiam in toto homine accidere posse arbitremur.

## §. XXIV.

Ne tamen plenariam hanc credamus renouationem, obstat, tum difficilis ea aetate humorum in benigniores mutatio, tum solidarum partium durities & concretio solennis. Neque quicquam aliud quam possibilitem talem admittendam censemus, quanquam ipse etiam DEVS secundum effatum illud renouabitur, vt aquila, iuuentus tua: dentibus charisque amicis tale beneficium imperiret. Tantum enim abest, vt eius sapientia naturae ordinem inuertat datasque leges suspendat; quin potius easdem conseruet, praesentibusque corporibus & organis, tanquam instrumentis vtarunt ad determinatos effectus producendos.

## §. XXV.

## §. XXV.

Iis quidem, qui remediis in florentissimam aeratem restitui posse homines clamitant, acerbum nimis videbitur TRALLIANI, L. XII. de marasmo, responsum: *Senium nulla medicina tolli potest.* Illud tamen quam maxime de eiusmodi panacaeis dici debet, quales in primis PARACELSVS L. IV. auror. med. c. 4. protulit, quae arrogantibus encomiis latitantes produnt ineptias. Saniores enim medici libentissime huiusmodi medicaminum ignorationem fatentur: licet non omnino negent, quasdam dari plantarum, aquarum lapidumque virtutes quibus senium retardari, iuuentusque reduci quodammodo possit, quamuis incognitas: quoniam plurimarum rerum vires nobis ignotae & arcana copiosissima patulo naturae sinu occultantur.

## §. XXVI.

Atque harum rerum notitiam certiorem primos habuisse homines probabile est: cum enim magna illustrati fuerint sapientia, commoda sanitatis praefidia & secretas medicinas retardandae & leniendae senectuti accommodatas inuenire, liberisque suis talia contra senium experimenta commendare potuerunt: vnde primis temporibus maius vitae spatium plures emensi sunt.

## §. XXVII.

§. XXVII.

*Vid. Casp. a Rees C. E. Quaest. XXVI. n. 7.* Recentiori aeuo quae de illustribus fontium quorundam viribus, quorum aquae potu senii cum iuuenta fieri dicitur mutatio, quae itidem de herbarum innominatarum succis, atque aliis casu inventis remedii, mirandisque horum omnium effectibus ab auctotibus memorantur, ea nos curiosis rerum naturalium indagatoribus vterius exploranda relinquimus. Interim eo vsque frustranea medicastrorum & agyrtarum promissa hominum animis euellere conabimur, donec talium medicamentorum operationes, insitaeque vires decenti diligentia fuerint patescantae. Adparet igitur ex hac vsque dictis necessitatem senectutis non esse mere hypotheticam, sed vniuersalem: quanquam enim, pauca certe, dentur exempla in contrarium, a potiori tamen fit denominatio.

§. XXVIII.

Certiorem illi finem eligunt, qui senectutis coniunctorumque ei symptomatum molestiam accurata selectiorum diaeteticorum praceptorum obseruatione mitigare student. Extra omnem enim dubitationem positum est, diaetae, uti per omnem aetatem, sic in primis in prouenctioribus annis maximam esse utilitatem.

§. XXIX.

Generatim itaque senibus commendanda est mediocritas, cum eorum corpora rerum externarum

rum iniuris magis sint opportuna, adeoque omne  
nimium eorum naturae maxime inimicum.

§. XXX.

Sedulo senes monendi sunt, ne se aëri frigi-  
diori exponant. Ille enim tam in pulmonibus,  
quam ipsam contingendo corporis superficiem, ca-  
lorem nostri corporis imminuit. Refrigerationem  
illam sequitur proxime retentio particularum sali-  
no-sulphurearum & ferosarum, quae per transpira-  
tionem insensibilem tum in pulmone tum in cute  
secerni debebant: eadem porro producit massae  
sanguineae condensationem & motum tardiorem,  
cohaesionem partium quarumvis maiorem, fibra-  
rum constrictiōnem, angustationem vasorum praef-  
ertim extremorum, stases sanguinis in iisdem,  
hinc tumorem extremorum, sanguinis & spirituum  
inaequalem in musculos influxum, hinc tremo-  
rem, &c.

§. XXXI.

Senibus vitanda sunt, quae difficilius a ventri-  
culo subiguntur; & cum eorum alimenta per se  
in stomacho facilime aescant, praesertim acida:  
ne humores iam lenti ad funestas stagnationes di-  
sponantur. Vnde abstinere debent a lacticinio-  
rum & casei, imo frequentiori carnium vsu: ista  
enim acidum, hae vero humorum copiam & cor-  
ruptionem senibus infensissimam augent.

§. XXXII.

Senibus potius conuenit victus simplex &  
temperatus: cuius indolis sunt vegetabilia coctio-  
ne

C

ne mollita, ut passulae, pruna, poma, legumina  
molliora, olera & pisces: ea praecipue, quae in  
coena adsumuntur, ita debent esse comparata, ne  
digestioni negotium faciant.

§. XXXIII.

Potus senum sit vinum; quod haud inconcini-  
ne lac senum nominatur; sed forte & genero-  
sum. A vinis vero vaporosis & sulphureis, acidis  
& tartareis, imo ab ipso spiritu vini simplici eos  
abstinere consultum est, nisi irreparabile fere sani-  
tati damnum inferre malint.

§. XXXIV.

Motus lenis sub aere temperato institutus se-  
nili aetati maxime conducibilis est. Vnde maiori-  
robore adhuc praesente deambulatio, equitatio,  
vectura & aliquando peregrinatio breuior: infir-  
mioribus autem frictiones & gestatio suaderi pos-  
sunt.

§. XXXV.

Somnus deuexae aetati maximum semper so-  
latum adfert: sit itaque ille sufficiens, non vero  
nimius, qui ad morbos pituitos & tartareos, fla-  
tus copiosos, & reliqua disponit.

§. XXXVI.

Vigiliae senibus semper nocuiae sunt; diffi-  
cile spiritus & serum blandum, adeoque vires im-  
minuunt.

§. XXXVII.

Curandum etiam sedulo, ne aluinorum fae-  
cum exclusio aut dimissio urinac inordinatae fiant:  
omni-

Omnique studio salutaris illa per transpirationem insensibilem seri salino-sulphurei excretio promouenda est, quod sit per motum lenem, adsumptum vinum bonaे notae, ac adhibita infusa ex herbis aromaticis. Prioris autem generis excreta potius per elypteres aut alia aptiora singulis casibus medicamenta, quam per purgantia vel diuretica, in ordinem reducenda sunt, cum praecipitata eiusmodi cura saepius inopino infelicem habuerit exitum.

§. XXXVIII.

Solet quandoque ob vitam sedentariam vitiumque paullo liberaliorem, vel haemorrhoidum vel mensium cessationem, in vasis quoque senum abundare sanguis, qui quidem alias scorbutum, viscerum infarctus, marasimum, affectus soporosos, ipsam denique apoplexiam induceret, nisi mature a medico prudenti per Venae sectionem minuatur.

§. XXXIX.

Fugienda praeterea senibus gratiora animi pethemata, maioresque commotiones. Prosunt tamen ad valetudinem tuendam adfectus moderati, qualis est laetitia, non quidem subitanea, sed durabilior, quae tamen, cum senes ad tristitiam ordinario magis sint propensi, nimia in iis facile excitarinequit.

§. XL.

Cum merito consuetudo dicatur altera natura: hinc nunquam senibus ab adsueto vitae genere sine graui caussa recedendum est. Quisquis & diaetae salutaris & consuetudinis limites transierit, is temeritatem suam conuenientibus luet poenis.

## §. XL.

Cum ratione & experientia constet, dari quas-dam sanitatis species, quae temperamentorum no-mine veniunt, omnes quidem diuerso licet modo conseruationem hominis obtinentes : eas autem aetatum successiva mutatio certissime experiatur : sequitur omnino, senectutem ejusque temperiem aetatis sano esse potius adscribendam statui : quam morbosis affectionibus annumerandam. Qui enim cum Terentio Comico senectutem per se malam esse valetudinem affirmant ; ii nimis latum eius vocis usum commenti sunt, videnturque potius istius aetatis a plerisque deliciis alienae significare voluisse & inertiam & ad morbos mortemque ipsam proclivitatem.

## §. XLII.

Copiosissimae de senectutis molestiis audiuntur querelae, ac si iniuste nobiscum transegisset na-tura, quod arboribus herbisque, nec non quibus-dam animantibus annuam concesserit instauratio-nem, hominibus autem corpus tribuerit spontaneis decrementis obnoxium. Si vero, si paulisper de infelici mutationum mortisque ipsis caussa cogitauerint, haud ultra morosis obiectionibus naturae leges accusabunt. Mors enim cum ob primorum delicta parentum uniuicique incumbat, ejus vero via non nisi gradatim ineunda sit; haud abs re forte afirmabimus, senectutem formare quan-dam ad moriendum maturitatem.

## §. XLIII.

§. XLIII.

Dum certis quibusdam aetatibus quidam etiam morbi magis solent esse familiares: nostrum erit inquirere, quae aegritudines senilia corpora potissimum adoriantur, & ad quos affectus senectutis disponat constitutio?

§. XLIV.

Generatim itaque cum ratione temperamenti ad intemperiem frigidam & siccum inclinet vergens aetas: primo loco nobis considerandus est hujus intemperiei morbus vniuersalis, qui dicitur atrophia. Est autem illa impotentia sufficienter restituendi partes per transpirationem amissas & adponendi nouas: a cacochemica humorum constitutione vel obstructionibus in nervis aut arteriis factis ortum trahens. Summus atrophiae gradus est marasmus, qui a succo nutritio, vel ob sanguinis salinas, serosas, purulentas impuritates, vel ob febris praesentiam, & hinc certissimam sanguinis effervescentis colligationem, nimis imminuto producitur. Vbi & pinguedo, & carnes minuantur, omnesque corporis partes solidae simul macriscunt, extreme consummatus marasmus accessit.

§. XLV.

Iam vero paulo specialius videamus qui morbi supra memoratam crasis sequantur. Si series otiosumnoque pleniori indulgeant & lazieribus satientur alimentis, scire licet cito ad futuram plethoram, sed ob copiam succorum maiorem, quam excernitur ordinarie, sequentesque inde impuritates, plerumque spuriam.

C 3

§. XLVI.

§. XLVI.

Vbi in senibus ob siccitatem serum blandius  
subtiliusue deficit, tum synouiae absentia aut sta-  
gnatio producit dolores in articulis.

§. XLVII.

Solennis post plures annos maiorque fibra-  
rum soliditas, minimorumque canalium tum lym-  
phae nutritiae aut spirituosaे secretioni, tum hu-  
morum impuriorum excretionibus destinatorum,  
vel angustatio vel plenaria obstructio succos minus  
temperatos, sive graues afflictiones inducunt.

§. XLVIII.

Ex bronchiorum obstructione, rigiditate & sic-  
citate, vel grauiori pulmonum cum pleura coalitu  
spirandi nascitur difficultas.

§. XLIX.

Ob meatus cutaneos angustiores & constipatos,  
deficienteque calorem transpiratio difficiliter suc-  
cedit: atque ita serum impurum pituitosum acre ge-  
neratur: vnde frequens contingit cum tussi destil-  
latio.

§. L.

Si partes salinae auctiores ad poros cutis defe-  
runtur, ibidemque stagnant; molestissimum pruri-  
tum, sicciam scabiem, squamosamque cutis aridita-  
tem excitant.

§. LI.

Vbi demum serum salinis acrioribus tartareis-  
que partibus abundans per vias vrinarias exire co-  
natur ibique diutius subsistendo partes afficit sensi-  
biliores: strangurias, ceterasque vrinæ difficulta-  
tes, vesicae arrofiones, vrinas mucosas subinde pra-  
sentem vesicae calculum augentes senilia corpora  
sustinent.

§. LII.

## §. LII.

Partes alcalicae siue spirituosaef deficientes, vel admixtae copiosius tartareae & acidae serum coagulantes, menstruum ventriculi alterando, vna cum languidiori spirituum influxu, digestionem alimentorum impediunt; quae quidem & fordes excrementitiae vel ob causas §. XLIV. memoratas, vel diutius in alio ob quandam viscerum atoniam recurrentae flatulentias, ructus, colicas, totius corporis languores & inquietudinem causantur.

## §. LIII.

Quodsi inaequalis & inuoluntarius spirituum tam in oculi quam reliqui corporis musculos, contingat influxus, statim rotatio obiectorum immobilium cum aliquali difficultate sese in situ erecto sustinendi percipitur, quae dicitur vertigo. Motu autem spirituum imminuto morbus attonitus, & reliqua frigida capitis vitia determinantur.

## §. LIV.

Quoniam autem morborum omnium, quibus senectus patet fere innumeris, recensionem nimis prolixam fore censemus, hinc nobis eos tradidisse sufficiet, qui propinquius ex aetatis istius constitutione deduci posse videbantur, & ex quorum ortu reliquorum quoque plurimorum generationes facilius intelliguntur.

## §. LV.

Recordamur tamen merito hic observationis & moniti practici V. C. Roberti Welsted, Angli, qui plurimos morbos, hanc aetatem adfligentes, optime arthritide superueniente subleuari arbitratur,

*Vid. Liber eius  
de aestate per-  
gente.*

tur, medicosque in primis eo in tollendis eiusmodi morbis respicere iubet, ut quodvis in visceribus vel partibus nobilioribus haerens vitium in articulos reiiciant: hoc enim, tanquam grauiorum remedio, senes reliquorum immunes persistere malorum. Quam quidem sententiam ex toto nostram facere haud possumus. Licet enim libentissime concedamus contingere quandoque ab articulari morbo accedente morbi senilis solutionem: maxime tamen dubitamus, an rationalem medicum praescripta debeat curatio: cum nondum simus certi, tum utrum arthritici, an vero ceterorum morborum dolores grauius adfligant: tum etiam an tuto & methodo bona talis institui possit senilium affectuum cum arthritide commutatio.

## §. LVI.

Id certum est, quod Lommius refert, senes quandoque minus iuuenibus ipsis aegrotant: verum, semel diuturnis correpti malis, fere opprimuntur. Caudendum itaque sedulo, ne longi morbi vergentem aeratem inuadant. Sed nos missis iis, quae practicam observationem requirunt, quaeque sigillatim circa eiuslibet morbi curam prudentia medici moderabitur, breui tantum conspectu solitam senectutis originem, naturam deinde atque constitutionem, tum ex sanguinis circulo debilitato & rerum ad istum concurrentium indole, tum ex actionum omnium hinc exorta infirmitate sistere, quaeque ratione senium eiusque molestia praecaueri possit diaeticorum praceptorum diligenti adhibitione, quique morbi maxime ex peculiari solidarum & fluidarum partium habitudine sequantur, explicare voluimus. Quod quidem cum pro virium tenuitate effectum dederimus, dissertationi huic finem imponimus.

D. O. M. S. L. E. G.

01 A 6505




3

hur 10. Stet 7A-706  
Bücher verknüpft

VDR





19.

*Q. F. F. Q. E. J. D. J.*  
**DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA,**  
**DE**  
**SENECTVTE,**  
 QVAM,  
 CLEMENTISSIMO SVMMI NVMINIS AVSPICIO,  
 RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,  
 VIRO PRAENOBILISSIMO ET CONSULTISSIMO  
**DN. TOBIA IAC. REINHARTHO,**  
 ICTO, SACRI PALATI CAESAREI COMITE, IVRID. FACVLT. ASSESSORE,  
 ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVIT. STNDICO  
 ET CONSULE,  
 AVTORITATE ET DECRETO  
 INCLITAE FACVLTATIS MEDICAE  
 IN CELEBERRIMA ERFFVRTENSIVM ACADEMIA  
 SVB PRÆSIDIO  
 GRATIOSI ORDINIS MEDICI DOMINI DECANI ET SENIORIS,  
**DN. D. HERMANNI PAVLI IVCHII,**  
 SERENISS. DVCVM SAXO-VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVLICI ET ARCHIAT.  
 PATHOL. ATQUE PRAXEOS PROFESS. PVBL. PRIMAR. ACADEM.  
 CAESAR. NAT. CVRIOS. COLLEGAE,  
 PATRONI, HOSPITIS ET PROMOTORIS SVBMISSE COLENDI,  
**PRO GRADV DOCTORIS**  
 SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS  
 ET IMMVNITATIBVS  
 SOLENNI RITV MORE MAIORVM IMPETRANDIS,  
 PVBLICAB ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT,  
 AVTOR ET RESPONDENS  
**IOANNES GODOFREDVS KAMPER,**  
*Wratisl. Sileſ.*  
 IN AVDITORIO MAIORI COLLEGII MAIORIS, HORIS CONSVETIS.  
 DIE XI. IVLII M DCC XXXII.  
 ERFORDIAS, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typage.

19.